OLAI
A.
II.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai.

1. Gymnasium Logicum repetitum
2. Exercitatio de Cognitione humana universa.
3. Tr. de Esse alicubi seu Ubicatate.
4. Pro methodo Trinitatis aliisq materiis Apologia.
5. Quadrigatus expensus seu Consideratio quadrigae quaestionum de Syncretismo nonneminis Wittebergae emissae.
6. Exercitatio de Prudentia Theologica.
7. Exerc. de Obedientia tam Civili quam Spirituali.

D. O. M. A.

Gymnasij Logici repetiti

DIATRIBE V.

DE TERMINO POSTPRÆDICAMENTALI

seu dissentaneo

Vulgò de

POSTPRÆDICAMENTIS.

Disputationis loco

Ad Sententiarum collationem in Gymnasio Dantiscano proposita.

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Philosophiæ Professore

Publico

Respondentis partes obtinente

ISAACO FABRICIO

Dantiscano Borusso.

Ad diem 19. Octobris S. N.

In Auditorio Philosophico. Horis ab 8. matutinis.

DANTISCI, Typis GEORGI RHETI,

Anno M. DC. XXXIX.

Gymnasij Logici repetiti
Diatribe V.
De termino dissentaneo.

I.

E*Tsi malo & inconvenienti instrumento idem efficere ac appositissimo singularis artis judicet esse Ludov. Vives, veluti cum* Apelles *carbone de foco sumpto ita expressit eum, à quo ad prandium Ptolomæi invitatus erat, ut invitati facilè omnes hominem agnoscerent, apud* D. Höpffnerum c: Cursemium p. 3. s. 3. c. 5. *Tutiùs tamen, certiùs, jucundiusq; per appositum organon operari licet. Similiter etsi absq; convenienti ad eam disponente Termino negata propositio solo naturali judicio expediri possit; & hactenùs in Logicæ parte secundâ fermè sine sufficiente termini ad eam facientis in* p. 1. *elaboratione expedita fuerit: Certius tamen, tutius, & pro Logicæ perfectione ac completo ordine convenientius est, peculiares in parte primâ elaborare terminos, fundamenta futura negantis prop. in parte secundâ formandæ. Æquè enim negans prop. est propositio, ac affirmans: ac proin æquo fundamento in parte Logices primâ disceptanda. Fit id per* terminum postprædicamentalem, vulgò postprædicamentum, *& accuratiorib. repugnantem ac dissentaneum dictum.*

2. *Postprædicamentorum tractatio* vel *præcognitiva est* vel *cognitiva.* Illa *triplex, 1. Distincta hujus materiæ & peculiaris tractatio. 2. Sedes, 3. Author.*

3. *Quà primum, quæritur,* An distinctè & peculiariter in Logicis de termino negante & postprædicamentali agendum? *A quibusdam hic in* defectu, *ab aliis in* excessu *pec-*

ſu *peccatur*. In defectu peccant 1. Illi, *qui poſtprædicamenta tantùm vocabula quædam explicare ajunt, quorum mentio ſit facta in prædicam: Adeoq; tantùm ut explicationi prædic: inſervientia, non ut veras partes Logicæ propons. Ita hactenùs communiter & fermè famosè eſt ſenſum.* Vid. Dn. Philip. l. 1. Dialect. pag. 82. Conimbricenſ. in cap. 10. d. Categ. Toletum in c. l. Fabrum c. 11. d. prædicam. Moriſan. in l. de Categ. c. 13. 14. Hunnæum l. 2. Log. p. 95. Titelman. l. 2. Log. c. 59. Keck. l. 1. ſ. 1. Log. c. 6. Caſum p. 2. Log. c. 31. Scheibl. intr. c. 4. n. 9. Cor. Mart. l. 1. diſſ. c. 9. Rhenium p. 114. Log. Crell. l. 1. p. com. c. 2. Regium q. 8. d. præd. Bartholin. ench. p. com. l. 1. c. 22. Bersman. l. 1. Log. p. 159. Höpffnerum in l. Categ. c. 10. Libavium propæd. Log. p. 21. Becmannum l. 1. comp. Log. c. 12. *alioſq;. Contrà inter neotericos quidam, qui curatius Logicæ indolem luſtrârunt, poſtprædicamentorum finem primarium longè alium viderunt, nempe Terminum ad futuram propoſitionem negativam aptificare.* Ita Cl. J. Mart. lib. 2. inſt. c. 10. p. 96. *eumq; ſecutus* Scharffius l. 1. tr. 4. c. 1. Gutkius c. 4. ſyn. Log. & ex: 4. Log: div. *Quib. conſentit clariſſimū ſuæ patriæ ſidus, oſtenſum tantùm terris*, Dn. Wegerus, *Philoſoph. acutiſſimus*, ſ. 2. c. 21. Log. & Bertius l. 1. Log. c. 10. *Hæc ſententia veriſſima eſt. & ſequentibus probanda.*

4. 1. *Datâ propoſitione negante in parte ſecundâ Log. ut primario aliquo operationis Logicæ objecto, dandus eſt terminus iſtius operationis in parte primâ. Nam hic debet eſſe fundamentum ſecundæ operationis. Et concedere propoſitionem, & negare terminum, ex quo formanda ſit, eſt concedere domum & negare fundamentum ac materiam ejus: concedere calceum & negare corium vel aliam ejus materiam, Quod ridiculum. At datur propoſitio negans in parte ſecunda, & æquè quidem*

primariò à Logico fabricanda atq; affirmans. Imò negare æquè est de definitione propositionis Logicæ atq; affirmare. Est enim nil aliud, quàm dispositio terminorum affirmans aliquid vel negans. *E. dandum est fundamentum ejus in parte prima. Hoc non est in synonymis aut paronymis, non in prædicabilib. aut prædicamentis, non in terminis complexis, & definitivis divisivis, &c. Quæ omnia pro affirmativis prædicationibus sunt, ut disputat. præcedentib. monstratum. E. in postprædicamentis scil. seu terminis oppositis hoc fieri debet.*

2. *2 Terminus partis primæ est vel consentaneus vel dissentaneus,* V. d. 2. t. 23. *At consentaneus hactenùs per prædicabilia & prædicamenta in specie est expositus. E. & dissentaneus specialiter explicari debet. Æquè enim pertinet ad Logicam atq; consentaneus: Nec minùs frequens est propositio negativa, quàm affirmativa. Non hactenus est explicatus specialiter. E. jam in postprædicamentis explicandus. Secus prima pars Logicæ magnam partem erit hiulca.*

6. *3. Si hic potissimus postprædicamentorum scopus, explicare terminos, quorum facta mentio erat in prædicamentis, longè plures addendi erunt termini,* ut intensionis, remissionis, similis & dissimilis, paris, imparis, superioris inferioris, causæ, effectus, &c. *Nam & illorum mentio in prædicamentis. Sic à qualitate res dicuntur similes aut dissimiles, quantitate pares vel impares Sic substantia non recipit magis aut minus. Genus est superius specie, species inferior genere, &c. Aut erit aliàs hæc doctrina multùm imperfecta. At non hoc. E. nec illud. Primarius ergò scopus est terminos propositionis negantis elaborare: secundarius, quosdam terminos in Categoriis occurrentes explicare. Et huc pertinent, quæ de postprædicamentorum usu famosè ab Authoribus* c. 3. *citatis adduci solent. Et*

hunc usum spectando possunt omitti postpræd. ut censet Scheibl. c. 4. introduct. n. 9. & Dn. Cor. Mart. l. 1. comm. c. 9. *Faciunt enim ad meliorem saltem explicationem, non peculiaris operationis Logicæ constitutionem. At priorem spectando minimè omnium omitti possunt, sed sunt partes integrales operationis & partis primæ Logicæ, quibus omissis structura Logica manca erit & hiulca, ut carens notione simplici-specialiter explicatâ, ex quâ propositionem negativam formare debeat: Quod insulsum.*

7. 2. *In defectu peccant Illi, qui ad* Grammaticam *hanc totam doctrinam amandant, apud* Matthisium com. in c. 7. Categor. Aris. *Quòd ambiguorum & difficilium verborum explicatio Grammatici sit muneris, non Logici. Quidam in nonnullis hic Lexicarias quisquilias proponi ajunt: Vt in voce Habere. Vt* Ramus l. 4. Shol. Dial. c. 12. Beurhusius d. 3. Vind. pro Log. Ram. t. 105. & l. 1. compa. Log. p. 56. Becmannus l. 1. compa. Log. c. 12. aliiq;. Falsò omnia 1. *Formalis elaboratio termini ad futuram propositionem est operatio Logica, non Grammatica, ex professo à Logicâ suscipienda. Nulla enim disciplina terminos ad futuram enunciationem aptificare docet, quàm Logica. Hæc doctrina est talis elaboratio.* Vid. th. 4. *Ergò. 2. Quæq; disciplina usum suorum vocabulorum in suâ facultate explicare debet. Sic JCtus Juridica, Medicus Medica, Theologus Theologica, explicat. E. & Logicus Logica. At hæc vocabula oppositorum sunt talia. Faciunt enim ad propositionem negativam, & consequenter argumentationem, Quæ operatio formaliter ad Logicum spectat. E. & usum vocabulorum eò ducentium explicare ad Logicum spectat. 3. Modus tractandi diverso fini subserviens rem unam in variis disciplinis tradi posse facit. Sed in his Terminis est diversus*

tractan-

tractandi modus: alius etiã finis à Grammaticâ, veritas nempe & futura propositio negans conformanda, Cum in Grammatica Orationis tantùm puritas intendatur. E. & hic specialiter quædam voces explicari possunt. Etsi voces ambiguas explicare disciplinæ cuidam assignandum esset, melius Lexica assignaretur, quàm Grammaticæ. Illa propriè circa voces earumq́ Significata versatur. 3. Illi, qui affectiones prædicamentorum quasdam hic tradi putant, ap. Scharffium l. 1. tr. 4. Log. c. 1. *Et* Regius *huc accedit* de prædicam. q. 8. *Hoc particulare, secundarium & insufficiens est. Plus hic tractandum est. Non sola affectio, sed prima ad negativum enuntiatum formandum operatio hic expedienda est, quæ in nullâ aliâ parte Logices locum habet.*

8. *Fuerunt illi, qui in defectu peccant. In* excessu *peccant* Scotistæ *quidam, qui hæc non ut postprædicamenta, sed ut nova prædicamenta ab Aristotele conscripta esse ajunt. Hinc opposita, motum, vera summa genera faciunt. Quorum meminit* Casus p. 2. Log. c. 71. *Hoc procedit ex ignorantiâ veri usus postprædicamentorum,* th. 6. *traditi. Eoq́ operosiori confutatione non indiget. Prædicamenta sunt termini affirmativæ propositionis,* V. d. 4. th. 18. *At postprædicamenta negativæ. In prædicamentis prædicari aliquid debet vel synonymως vel Paronymως. Postprædicamenta principaliter neutro modo. E. prædicamenta esse non possunt. Prædicamenta classes rerum creatarum sunt. Postprædicamenta & ad increata applicari possunt, ut diversa, opposita, priora, simul, &c. Terminos enim dissentaneos in omni materiâ & abstractione entis suppeditant.*

9. *Fuit* primum præcognitum. *Secundum est* sedes. *Hic duo dicenda.* 1. Sedes hujus doctrinæ est in parte Log.

 pri-

primâ. *Nam explicat terminos simplices, qui in parte primâ sunt proponendi & aptificandi, ut ex iis in parte secunda formari possint propositiones. At explicare terminos simplices ad primam Log. partem pertinet. Hujus sententiæ est ipse* Philosophus l. de Categor. c. 8. & c. 1. de postpræd. & c. 10. de antepræd. *qui contradictoria hic terminos simplices vocat, ex quorum conjunctione affirmatio & negatio nasci debeat.* Vid. Hippium q. 18. Log. Regium qu. 8. d. præd. Crell. p. com. l. 1. c. 2. Fabr. c. 11. de Categ. Cl. J. M. l. 1. misc. d. 7. t. 13. *Ita in terminis oppositionem incomplexam habemus, partim contrariorũ, ut album, nigrum: partim relativè oppositorum, ut pater, filius: partim contradictoriorum, ut album, non album, Ens, non ens, &c. Ex quibus terminis postea in oper. secundâ Logices enuntiationes negativas vel negationes complexas formare possumus, Ut, Ens non est non ens, album non est nigrum, &c. Ut omninò aliena sit eorum sententia, qui contradictoria hic integras propositiones putant, quorsùm* Dn. Philippum *inclinare tradit* Hippius c. l. *Non obstante eo, quòd affirmatio & negatio non sit, nisi in propositionibus. In contradictoriis autem sit affirmatio & negatio, Ut homo, non homo. Non n. rigida hic est affirmatio aut negatio, quæ per enuntiationem tantùm expeditur: sed oppositio termini, qui affirmare videtur, cum termino, qui negare. Sic quod hic terminus, homo, affirmat, h. e. ponit, alter, non homo negat, i. e. tollit. Affirmatio* simplex & incomplexa *hic est, quæ terminorum, non* complexa, *quæ tantùm Enuntiationum: Ut quidam distinguunt. V.* Schiblerum d. prop. c. 2. n. 3. *Nec eo, quòd in Contradictoriis alter terminus sit non Ens, & nihil. Hoc enim naturæ Termini Logici, ex quo formari debet propositio, nihil obstat. Non enim rem præcisè ille notare tenetur; sed & de non en-*

te eum formare possumus. Vt, quoddam figmentum est chimara, Cerberus, Homo est non Leo, non Canis, &c.

10. 2. Postprædicamenta prædicabilib. & prædicamentis postponi debent. *Sunt enim termini negativi. At ngativa affirmativis postponi debent. Affirmatio enim prior & dignior negatione. Ex illâ enim hæc formari debet & in enuntiationib. & in terminis. Rectè ergò postponuntur. Quanquam quidam commoditatis gratià præponunt.* V. Bert. l. 1. Log. c. 9. Casum l. 1. c. 31. Log. *Quicquid sit de illis, qui in Topicis hæc docenda esse contendunt, ut* Timplerus l. 2. Log. c. 5. q. 1. Beurhus. l. 1. coll. Log. p. 56. Alstedius Log. harm. l. 2. c. 14. Bilstenius l. 1. dial. c. 11. Ramus lib. 4. S. h. dial. c. 11. *Aliiq́. At Topica pro argumentationib. probabilibus sunt, non Terminorum explicationibus, ut alibi docetur.* V. Cl. J. M. l. misc. d. 7. th. 14.

11. *Fuit* secundum præcognitum. Tertium *est Author. Author postprædicamentalis doctrinæ est Aristoteles. Negavit olim* Andronicus *quidam apud* Reg. q. 8. d. præd. Scotistæ *quidam &* Ramistæ *apud* Casum c. l. *contrà, stilus, tractandi ratio & communis Philosophorum consensio arguunt authorem Aristotelem. Nihil est, quòd* nomen huic doctrinæ non impositum esse ab *Aristotele objicitur. Hoc enim 1. Non necessarium est. Non negabis filium à patre productum esse, etiamsi ab eo non nomen habeat impositum. Sic sæpè opera posthuma eduntur, quæ ab authoribus nomina non habent, etsi verè eorum sint. 2. Falsum est. Dicitur enim* τὰ μετὰ τὰς κατηγορίας, *quasi dicas consequentia prædicamentorum. Præterea ab Aristotele q. explicatio terminorum quorundam prædicamentalium videtur conscripta, ut propterea peculiari titulo insigniri non debuerit.*

12. *Fuit*

12. *Fuit* præcognitiva *consideratio. Sequitur* cognitiva. *Quæ est* nominalis vel realis. Nominalis triplex, Homonymica, Etymologica & Synonymica.

13. Homonymica. *Terminus negativus sumitur* 1. pro *termino significante objectum vel negativum vel privativum. Vt nihil, cæcitas, non ens, nemo, surdities. 2.* pro *termino negante propriam significationem vocis additæ, non exclusa interim alia. Hi vulgo infiniti dici solent. Vt non homo, non animal significat rem quamvis præter hominem, animal. 3.* pro *termino quomodolibet ab alio dissentiente, ita ut cum eo affirmativè in propositionem jungi non possit. Sive in se rem privativam, sive positivam significet. Sic hic sumitur. Sic hic terminum negativum dicimus, qui negari debet de alio in verâ compositione propositionis.* Etymologica. *Etymologia termini visa est* d. 2. t. 12. *Negativi etymologia est, quà à negatione deducitur, quòd dissensionem formalem cum alio termino in se habeat, adeoq; in negationem disponi debeat, si verè Logicèq; disponi debeat.* Synonymica, *qua ter: negativus dicitur etiam term.* repugnans, oppositus, dissentaneus, diversus, postprædicamentalis, &c.

14. *Fuit* nominalis *consideratio. Sequitur* realis, *quæ iterum triplex*, definitiva, divisiva & affectiva. Definitio *est:* Terminus postprædicamentalis est terminus simplex negativè ob dissensionem, quam collatus cum altero termino in se habet, prædicabilis.

15. *In definitione videndus conceptus latior & strictior.* Latior genus *est, quod est terminus Logicus: h. e. Logicum instrumentum, apprehensionem simplicem dirigens & materiam propositioni formandæ suppeditans,* V. d. 2. t. 15. *In hoc generali conceptu terminus dissentaneus convenit cum consen-*

taneo,

tanea, quod primam opera: dirigat, & materiam Logicam ad futuram enunciationem diſponat, *In quo generalis termini Logici natura conſiſtebat.* Strictior *eſt differentia, quæ in his eſt, quòd* 1. negativè prædibilis ſit. *Hoc eſt, Term. diſſentaneus eam habet ſignificationem, ut ſi verè diſponi debeat, non affirmando, ſed negando cum altero diſponi debeat, ſicq́ fundamentum futuræ propoſitionis negativæ ſit, ex quo illa quà veritatem ſtrui & judicari debet.*

16. 2. Ob diſſenſionem, quam collatus cum altero termino in ſe habet. *H. e. In collatione terminorum terminus negativus diſſentiat cum aliquo termino qualicunq́ diſſenſione, quæ fundamentum eſt ob quod in verâ & Logicâ propoſitione non affirmativè, ſed negativè diſponi debeat.. Sic juſtitia & Temperantia diſſentiunt. Verè ergò diſponendo negativè diſpones: juſtitia non eſt Temperantia: non affirmativè.* Dico, qualicunq; diſſenſione. *Diſſenſio illa non* ſemper eſt realis, *i. e. earum rerum, quæ realiter differunt, ut homo & Leo: ſed interdum* rationis, *& hujus* vel *ratiocinantis, ut inter dextrum & ſiniſtum in columnâ:* vel *ratiocinatæ, ut in rebus inadæquatè & diſtinctivè conceptis, quæ à parte rei ſunt ſimpliciſſimè unum. Sic in attributis divinis præciſè & inadæquatè conceptis rectè dico, attributum Juſtitiæ non eſt attributum miſericordiæ, & contrà, etſi in re unum ſimpliciſſimè ſit alterum. Dicitur etiam diſtinctio virtualis. Vt pluribus alibi hæc deduxi,* dec. 1. miſc. d 4. t. 11. 12. *Sic in attributis entis dicimus: Verum formaliter non eſt unum aut bonum, etſi realiter unum ſit alterum.*

17. *E dictis ſequitur, terminum negativum talem* de eodem ſubjecto ſingulari ſimul & verè enunciari nō poſſe. *Dicitur* 1. De eodem ſubjecto. *Identitas ſubjecti debet* 1. eſ-

 ſe ſup

se suppositiva, *ut idem notetur suppositum. Nam de diversis suppositis contraria enunciari possunt. Sic de Aristotele, quod doctus, de Corydone, quod sit rudis.* 2. Objectiva, *ut ad idem objectum respiciat. Vnde non sunt opposita, Non videre mortem*, Joh. 8. v. 51. *& videre mortem*, v. 27. *Nam prius ad mortem spiritualem ut objectum respicit, posterius ad corporalem.* 3. Determinativa, *& hæc triplex:* Determinatio partis, ut servetur respectus ad eandem partem rei. *Nam de diversis partib. opposita enunciari possunt: sic Æthyops est albus, quâ dentes, Æthyops est niger, quâ cutem. 2.* Determinatio modi; ut servetur respectus ad eundem modum formalem. *Aliàs potest aliquid esse calidum efficienter, & frigidum formaliter, sic vinum. Sic cœlum & calidum virtualiter, non calidum formaliter & habitualiter. 3.* Determinatio gradus, ut servetur respectus ad eundem gradum rei intensum, *si habeat gradus. Aliàs eadem aqua potest dici calida & frigida, si sint gradus remissi: Idem paries albus & niger in gradibus remissis, & comparatione ad alium, qui longè intensiùs talis est.*

18. 4. Adjunctiva, ut respectu ejusdem temporis & loci sumantur. *Nam de diverso tempore & loco etiam opposita enuntiari possunt. Sic Johannes fuit rudis sc. in juventute: Et Johannes fuit doctus sc. in ætate virili. Sic Gedani venduntur vina sc. in cellis vinariis, & nō venduntur sc. templis aut Curiis. Hic sunt diversa loca & tempora, & ɔsequēter oppositio terminorū de eodem subjecto invalida.* Ames. T. 3. Bell. ener. I. 4. d. Evchar. c. 7. & 14. *negat diversitatē loci ad oppoositionē tollendā quidquam facere. Hujusodi pharmaco, (diversitate loci adductâ,) quælibet*, ait, *contradictio servari possit, semper enim diversa ratio fingi potest, quâ opposita eidem tribuantur. Di-*

ver-

versitas autem loci impertinenter se habet ad Contradictionem vitandam. Neq; eximit illis legibus oppositionis, eidem, secundùm idem, ad idem & eodem tempore. Nemo unquam Logicus addidit, & eodem loco. Hæc ille. Sed 1. Diversitas loci *omninò Contradictionem infringit. Sic Gedani venduntur poma sc. in foro, & Ged. non venduntur poma, sc. in Gymnasio, non est vera Contradictio, quia non respectu ejusdem loci prædicata intelliguntur. Sic, Christus non edidit multa signa in Judæa, sc. Nazarethæ in patriâ, & Ch. e. m. s. in Jud. sc. Capernaumi, non verè contradicit. De Legato in diversis aulis benè malevè rem expediente dices: Legatus bene stetit, sc. in Galliâ, non benè, sc. in Angliâ, citra contradictionem. Sic: Ille vulneratus est Romæ, non vulneratus est Bononiæ, nulla contradictio, quia diversitas loci, Vbi vulneratus, intelligitur. Nec ob* solum tempus diversum *hic implicatum Contradictio tollitur, sed & ob locum. Sic si de Eclipsi solis dicas: Illa eclipsis minatur tempestates & sterilitates, & non minatur temp. & ster. ex diversitate locorum optimè contradictionem tolles, si illis locis minari eas dixeris, quibus apparet, non illis, infra quorum horizontem in ipsâ Eclipsi sol constitutus est. Ex temporis diversitate nihil hic auxilij erit, cum eodem tempore & sol aliis locis minari sinistra, aliis non minari dici possit.* 2. Falsum *etiam est, Nullum Logicorum identitatem loci in Contradictione addidisse. Multi addiderunt, ne Logicos ita fidenter nobis objiciat Amesius.* Dn. Melanchton Erot. Dial. l. 2. p. 126. *In oppositionibus oppositis eadem sint extrema de* eodem loco & tempore *respectu ejusdem & sine ambiguitate intellecta.* Losſius *idem habet* qu. dial. p. 48. Regius q. 8. d. prædicam. *Opposita sunt, quæ in eodem tempore* & loco *circa unam eandemq; rem esse non possunt.* Casp. Rhodolphus l. 2. dial p. 40.

 In

In oppositione sit idem locus. *E. non opponuntur: Deliquium solare minatur varios morbos & sterilitatem, & non minatur, indicatis diversis locis. Eadem apud* Arriagam d. 2. sum. n. 19. Mendozam d. 4. summ. s. 26. Rhenium l. 2. Log. p. 182. *Vide.* 5. Ordinativa, *ut habeat 1.* eundem ordinem Logicum termini opponendi, *non inversum. Hinc nulla oppsitio, Nullus lapis est homo, Et omnis homo lapis est, Quia hic invertuntur termini opponendi. 2.* Eandem copulam mediantem inter terminos. *Nam cum hæc sit diversa, cessat oppositio. Sic, Omnis homo est animal, & nullus homo evadit aut resurgit animal, nulla oppositio.* 6. Distinctiva, ut subjectum & prædicatum sit distinstum, non æquivocum. *Nam super æquivocis nulla stat oppositio, ut loquuntur Scholastici. Sic, Cancer est morbus, Cancer non est morbus, nulla oppositio, quia subjectum æquivocum. Hinc in oppositis propositionib. opposita debent esse sine ambiguitate intellecta, ut loquitur* Dn. Phil. l. 2. dial. p. 126. & ex eo Sagitt. C. 3. Log. d. 10. ax. 1.

19. *Dicitur 2.* de subjecto singulari, *Nam de universali repugnantia dici possunt. Sic de homine, quà universalis terminus est, speciem notans, quod sit videns & cæcus, dives & pauper, virtuosus & vitiosus. Dicitur 3.* simul *i. e. uno eodemq́ tempore. Nam diversis temporibus contraria de uno subjecto enunciari possunt. Sic de Aristotele, esse doctum & indoctum.* V. Dn. Weger. s. 2 Log. c. 21.

20. *Fuit* definitio *Termini postprædicamentalis : sequitur* divisio. Terminus postprædicamentalis est vel absolutus vel respectivus. Absolutus *est, qui simplicem dissensionem termini cum termino dicit. Estq́ triplex:* diversus, disparatus & oppositus. Diversus est terminus dissentaneus ob

us ob diversitatem negativè prædicabilis. *Diversa variè dicuntur.* V. Scheibl. c. 13. n. 3. *Hic diversitas est contingens & levissima terminorum dissensio, i. e. talis, ut illis non repugnet quandoq; consentire, i. e. affirmatè de se enuntiari. Sic formosum & facundum esse, Philosophum & Theologum, hominem & non doctum, corpus & non animatum esse ita dissentiunt, ut quandoq; affirmatè de eodem subjecto singulari enuntiari possint. Sic de Luthero dices, Luth. fuit Philosophus & Theologus: de Platone, Plato & facundus & formosus fuit; De Corydone, Corydon homo & non doctus est. Hinc Rameis dicuntur* solâ ratione dissentire. *Quanquam phrasis ista quâ modum loquendi non est omninò accurata, cum sæpè realissimè dissentiant diversa, ut formositas & facũdia, quæ genere differunt, Philosophus & Theologus, quæ specie; homo & non doctus, quæ plusquàm genere proximo differunt, homo sub animali, non doctus sub nullo genere sit, ut term: infinitus, qui generibus subjici non solet: sensus tamen utcunq; tolerari potest, Ut ratione differre sit dissentire saltem* per distinctionem, non per repugnantiam. *Ut esse hominem & non doctum, lignum & non rotundum. Diversi termini, quà diversi, semper negativè enuntiandi, Ut justitia non est temperantia: Quà fiunt consentanei, sic quocunq; modo & habitudine generalis paronymi de se invicem enunciari possunt.* Sic *justus est temperans: justitia in DEO à parte rei est misericordia, i. e. ista essentia, quæ dicitur justitia, est eadem essentia, quæ dicitur misericordia. Specialia, quæ hic moveri possunt, attingit* Scheiblerus c. I. n. 8. 14. & c. 12. n. 32. & c. 14. n. 35.

21. *Fuit terminus* diversus: Disparatus est term. dissentaneus ob disparationem, i. e. multis ex æquo oppositionem, negativè prædicabilis. *Disparata variè dicuntur.*

 V. Scheibl.

V. Scheibl. c. 15. c. l. n. 5. & 12. *Hic ea sunt, quæ dissentiunt ob oppositionem multis ex æquo factam, i. e. manendo in eodem oppositionis genere, ut multis opponi possint, etsi facto interdum inter duo saltem sint. Sic panis & corpus Christi in Cœna, homo & Deus in Christo disparata dici solent. Sic homo opponitur equo, asino, leoni, lineæ, virtuti, vitio, &c. In eodem oppositionis genere, i. e, in disparatione manendo. Aliàs & non homini opponi potest, sed tum fit contradictio: & bestiæ, sed tum fit contrarietas, non Logica aut Physica, sic enim substantia substantiæ formaliter nunquam contrariabitur, quod ab Aristotele validè assertum, vanè à nonnullis est impugnatum, Vide th. 26. Sed* Metaphysica: *& homini in potentiâ, & sic privativa oppositio oritur. Quidam disparata sub oppositis comprehendunt,* ut Gutkius l. 1. sy. Log. c. 4. *Meliùs ab illis distinguuntur. Disparatorum unum multis ex æquo & formaliter eodem modo repugnat. Sed oppositorum unum uni formaliter repugnat nulli ita alij.* Conf. D J. Mart. l. 1. di. Ram. c. 13. q. 1. *Sunt opposita generalia, i. e. repugnantia: Non specialia, ut unum uni tantùm repugnet. Generaliter dictum, disparata ob oppositionem multis ex æquo factam dissentire. Specialiter opposita sumendo ab illis distinguuntur.* Alij *disparata accidentalia, ut scientiam & albedinem, diversa vocare malunt, non disparrata. Et sic tanquam diversa uniri uni subjecto, de eoq; prædicari, non ut disparata. Vt* Goclen. p. 1. probl. Lo: *Sed hoc* partim Philippo *repugnat, qui ad disparata talia accidentia revocat* l. 4. Dial. p. 330. Disparata, *inquit,* duæ species diversæ, dicuntur *quæ etsi non contrariam interse actionem habent, in unam tamen rem confundi non possunt, & homo & asinus, albedo & scientia. Sic: Scientia est qualitas mentis. E, non est magnitudo vel figura:* partim rationi

tioni. *Quantum enim duæ disparatæ substantiæ distant à se, ut homo & leo, tantum & duo accidentia, ut color & odor, scientia & visus, &c.* Et *quem respectum duæ disparatæ substantiæ ad suum genus habent, ut homo & leo ad animal: eundem & duo diversa accidentia ad suum, ut albedo & flavedo ad colorem :* Ac *quam ob causam duæ diversæ substantiarum species disparatæ dicuntur, ut hircus & cervus ob oppositionem multis ex æquo factam : ob eandem & duæ diversæ accidentium species sic dicendæ sunt, & hæ enim multis ex æquo opponuntur. Vt albedo cæteris colorib. sonorib. odoribus, tangoribus, habitibus, figuris, quantitatibus, actionibus, passionibus, relationibus, ex æquo repugnat. Etsi autem* non ita frequenter *duæ dissperatæ substantiæ in uno subjecto concurrant, ac duo accidentia : quandoq; tamen concurrunt & de uno subjecto affirmantur. Vt leo est pardus, equus est cervus, hircus est ceruus, camelus est pardus, canis est vulpes, cervus est dama, equus est bos, ferrum est ignis, mel est aqua, homo est Deus, &c.* Vt alibi plenius *deducetur.*

22. *Fuit* terminus disparatus. Oppositus est terminus dissentaneus, ob oppositionem, i. e. unius ad unum formalem dissensionem, negativè prædicabilis. *Opposita variè dicuntur.* V. Sch. c. l. c. 15. n. 2. *Hic ea sunt, quorum* unum uni formaliter *opponitur. Sic albedo nigredini formaliter opponitur, nec habet, cui æquè opponi possit. Sic pater filio, nec alij rei æquè opponitur. Dicitur formaliter opponi, h. e. manendo in distantiâ oppositivâ formaliter sumptâ. Aliàs unum oppositum potest duobus contrariari & plurib.* sed materialiter sumptis: Sic una virtus opponitur duobus vitiis, excessui & defectui, unus pater duob. aut plurib. filiis: sed illa plura sunt materialia i. e. subjecta oppositionis : *Ipsa oppositio formalis manet in unâ distinctâ & præci-*

sivâ à subjectorum, in quib. haret, pluralitate, consideratione. Sic una virtus ut medium, vitio, ut deficienti â medio, unus pater ut relatum, multis filiis, ut suo correlato formaliter opponitur. Et sic formalis oppositio semper sistit intra unum & unum.

23. *Oppositus terminus est* quadruplex. Relativus, contrarius, privativus, & contradictorius. *Sufficientia Termini praassumitur, ut probata â primo Philosopho, qui realia horum terminorum expendit, probat, arguit : Logicus in his terminis* potentiam obœdientialem suæ disciplinæ attendit, *i. e. id spectat, ut aptitudinem quandam negativè prædicandi in illis latentem eliciat. Et sic hic eos tractamus, quod ipsa terminorum definitiones notionaliter & Logicè formata præ se ferunt. De numero interim* Cl. Wegerum l. 2. Log. c. 21. & q:18. d. Categ. Conimbric. in c. 10. d. opp: q: 1. a. 2. & alios vide.

24. Relativus est Terminus dissentaneus ob relativam oppositionem, quam in se habet, negativè prædicabilis. *Relativa variè dicuntur,* V. Scheibl. c. l. c. 18. n. 1. *Hic dicuntur ea, quæ ob relativam oppositionem negatè prædicari debent. Relativa oppositio dicitur, ubi unum opponitur alteri, ut Termino suo coëxistenti. Sic pater opponitur filio, ut Termino. Hinc est, ut in relativè oppositis dicas ad qvertentiã per casum obliquum: pater est filii pater, & filius est patris filius: Quod in cæteris oppositis non procedet. Non dices: visus est cæcitatis visus, albedo est nigredinis albedo, Homo est non hominis homo: Nisi cum opposita signatè sumes, pro communi oppositionis ratione. Sic contrarium sui contrarij contrarium est.* V. Weg. c. l. Keckerm. *relativam oppositionem propriè inter relationem & ejus privationem consistere censet, ut amicitia*

citia & inimicitia, conjugium & divortium, status conjugij & viduitatis, l. 1. Rhet. spec. c. 5. *Sed hæc oppositio magis ad privativam vel contrariam, quàm relativam pertinere videtur.* Ramus *negat relativa esse opposita, quòd sint Categoriæ;* l. 4. Schol. dial. c. 8. Valla l. 2. dial. c. 18. *quòd potius sint apposita. Sed hæc parùm probant. In relatis & est consensio, quà unum ponit alterum, ut pater filium, herus servum, cum in contrariis unum removeat alterum; ut Album non ponit nigrum, sed tollit: Et dissensio, quà de uno subjecto eodem respectu dici nequeunt. Ita* relativis Logicè spectatis inest ista affectio, quòd opponi possint, adeoq; negativè enunciari. *Et hanc affectionem explicuit in postpræd: Aristoteles. Sic substantiæ ipsæ non sunt contrariæ: sed inest illis hæc affectio, quod disparatè vel contrariè opponi possint.*

25. Contrarius est terminus dissentaneus ob expulsivam adversitatem, quam in subjectis habet, in quib. hæret, negativè prædicabilis. *Contraria variè dicuntur. Hic ea sunt, quæ expulsivè adversantur, i.e. ita, ut se mutuò expellant ex uno subjecto. Sive illa sit expulsio* effectiva, *ut cum calor expellit frigus: sive* formaliter exclusiva, *i.e. ut in uno subjecto, in quo tales termini ut subjecto inhærentiæ sunt, simul sint incomposs ibilia. Sic albedo & nigredo se expellunt.* V. Scheibl. Top. c. 17. n. 7. *Alij hanc divisionem negant.* V. Becanum p. 3. Th. Sch. tr. 2. c. 30. q. 2. *Alij hanc oppositionem etiam substantiis tribuunt.* Scheibl: c. l. n. 14. 15. & ex. 4. axiom. §. 6. Ramus l. 4. Sch. Log. c. 6. 11. Hesselbein. c. 5. Th. Log. q. 3. Taurellus l. 1. c. Cæsalp. q. 5. n. 26. *Communiter hoc Peripatetici negant, & qualitatib. immediatè eam asscribunt.* V. Cl. J. M. l. 1. misc. d. 5. t. 44. C. 3. d. 4. q. 4. n. 3. Dn. Weger. q. 9. d. Categ. & l. 2. c. 15. Log. *Et ego alibi uberius*

rius docui. V.disc. 4. dec. 1. Misc. t. 27. *Substantiæ disparatæ & diversæ inter se esse possunt: contrariæ rigidè non possunt.*

26. Privativus est Terminus dissentaneus ob privativam oppositionem, quam in se habet, negativè prædicabilis. *Privativa ea, quæ opponuntur, ut habitus generaliter dictus & privatio* debiti habitus. *Vt audire & surdum esse de homine. Vbi est negatio habitus* non debiti, *ibi oritur oppositio* contradictoria. *Sic videns, non videns, de lapide. Porrò debitum hic generaliter est explicandum, pro eo,* cujus suapte naturâ subjectum capax est. *Sic divitiæ, quia naturaliter possunt homini adesse, earũ carentia dicitur privativũ quid. Sic homini vestitus adesse potest: Ejus ergò carẽtia dicitur privatio.* Non specialiter præcisè pro eo, quod fluit ex principiis naturalibus subjecti. *Sic videre ex principiis animalis, ridere ex principiis hominis. Interdum & hoc in privantibus est, sed non semper.*

27. Contradictorius est terminus dissentaneus ob infinitam repugnantiam, quam cum altero termino involvit, negativè prædicab. In infinitũ negare est negare, *ut negatio nusquam sisti possit, præterquam in suo contradictoriô Termino. Sic homo, non homo; Ens, non Ens.* Formaliter & expressè *contradictoria per particulam non fiunt, ut, equus, non equus*: Virtualiter & implicitè *quandoq; per terminos positivos, Vt homo mortuus; Spiritus corporeus.*

28. *Fuit* terminus dissentaneus absolutus: *sequitur* respectivus. *Hic est* terminus negativè ob respectum specialem, quẽ cum alio termino habet, prædicabilis, *Et simul voces quasdam prædicamẽtales explicat. Estq;* prius, posterius, simul, motus, & habere. Prius *respectu alterius dicitur vel tempore, vel naturâ, vel ordine & dignitate, vel causâ: Tot modis & posterius dicitur.* Simul *aliquid cum alio dicitur vel tempore, vel naturâ, vel divisione.* Motus *vel est substantialis vel accidentalis.* Habere *vel est substantiale vel accidentale, & vagatur per omnia prædicamenta. De his Logicè videantur. Negatio eorum in hoc est, qud Synonymicè de se prædicari nequeant.*

De affectionib. postprædicamentorum aliàs.

H. NICOLAI
OPERA.
TOMUS II.